



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Quæstio Prima. De iis, quæ ad ipsum Restitutionis actum pertinent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40673

QUÆSTIO PRIMA.

De iis, quæ ad ipsum Restitutionis actum pertinent.

Discutiemus primo, Num restitutio sit actus solius iustitiæ commutativæ? Secundo, Qua ratione Restitutio necessària sit ad salutem? Tertio, Undenam oriatur obligatio restituendi? Quarto, Ex quam culpa? Denique, Quomodo Confessarius se gerere debeat cum pœnitente obligato ad restituendum?

ARTICULUS I.

Num ex violatione solius iustitiæ commutativæ oriatur onus Restitutionis?

- I. Restitutio large dicta fert iterato aliquem statuere in possessionem rei suæ. Presse vero dicta est Actus iustitiæ commutativæ, quo quis damnum a se illatum proximo resarcit.
- II. Ad iustitiæ commutativæ spectat tribuere unicuique jus suum, & partes inter se iustare, & exequare.
- III. In quo differat Restitutio a redditione depositi, aut commodati, a solutione muni, & a satisfatione?
- IV. Per quid discriminetur iustitiæ commutativæ a distributivæ, a legali, & a vindicativæ?
- V. Onus restitutionis non oritur ex violatione iustitiæ pure distributivæ, & ideo solius iustitiæ commutativæ est actus Restitutio.
- VI. Quid importat jus strictum in re, & ad rem? Quid etiam sit dominium, Usus, & Ususfructus?
- VII. Quando donatur aliquid distribuendum pluribus pro merito personarum, qui habet plura merita, habet jus strictum ad majorem sum-

man, & ideo violatur iustitiæ commutativæ, si ea non solvatur. At nemo privatus habet jus strictum ad bona communia, quæ non sunt distribuenda primario propter bonum privatum, sed propter bonum publicum; unde per violationem iustitiæ distributivæ non oritur obligatio restituendi.

- VIII. Episcopus conferens beneficia minus dignis tenetur resarcire damnum concurrentibus, & Ecclesia, non ex violatione iustitiæ distributivæ, sed commutativæ.
- IX. Num peccet mortaliter Episcopus conferendo beneficia simplicia minus dignis, omittis dignioribus? Num etiam Princeps sic conferendo officia Gubernatoris, Judicis, &c.?
- X. Dux non distribuendo spolia hostium pro merito militum peccat contra iustitiæ commutativam.
- XI. Ob lesionem iustitiæ vindicativæ tunc datur onus restituendi, quando simul violatur commutativæ.
- XII. Qui negavit in iudicio veritatem, non tenetur ad restitutionem damni secuti; secus vero si falsum testatus est. Quid de Confessario, qui omisit pœnitentem monere de Restitutione faciendâ? Tenetur Confessarius, si positive pœnitentem obliget: Sicut Advocatus, & Procurator, Gubernator, & Judex, si culpabiliter sint causa damni.

A 2

XIII.

XIII. Probabiliter peccat solum contra charitatem, & ad restitutionem non tenetur, qui emit omnes merces alicujus generis, ut postea carius illas vendat.

¶ Q. Ueritur primo, Quid sit Restitutio presse dicta?

Respondeo cum Laym. hic, Restituere ex vi nominis importare In pristinum statum reponere, ex leg. Restituere, ff. de verborum Signif. Et juxta hanc nominis etymologiam dixit D. Th. 2. 2. quaest. 62., Restituere nihil aliud est, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suae. Verum restitutio sic explicata non est ea, de qua agimus in praesenti; tum quia sic explicata comprehendit redditionem cujuscumque debiti ex contractu; nam quando restituimus, verbi gratia, depositum, commodatum, mutuuum, &c. tunc iterato reponimus aliquem in possessionem, vel dominium rei suae; & tamen in tali casu non habetur Restitutio stricte dicta; tum etiam quia qui domum alicujus vastavit, & equum occidit, non potest iterato reponere dominum in possessionem rei suae, cum non possit equus resurgere; & tamen in tali casu datur obligatio restituendi: Quare restitutio stricte dicta, prout pertinet ad rem praesentem, aliter debet definiri.

II. Dico itaque cum communi, Restitutionem presse dictam optime definiri, quod sit *Actus justitiae commutativa, quo quis damnum a se proximo illatum rescit. Seu est Damni iniuste illati compensatio ad aequalitatem.*

Dicitur itaque primo, quod sit *Actus justitiae*, loco generis, quia cum de ratione justitiae sit tribuere unicuique, quod suum est, & servare illatum jus uniuscujusque, aut si laesum fuerit, resarcire, per restitutionem id habetur; resarcitur enim per illam jus

laesum, & ponitur inter creditorem; & debitorem aequalitas debita, quae est propria justitiae: Justitia enim dicitur a Justando, quia justat, & exaequat partes, itaut neutra habeat plus, aut minus, quam sibi debeat.

III. Dicitur secundo, *Quo quis damnum rescit*, loco differentiae, quia restitutio, prout hic sumitur a Doctoribus, importat reparationem alicujus damni facti contra justitiam; Et per hoc differt, tum a redditione depositi, aut commodati; tum a solutione mutui, aut pretii in emptione, & aliis contractibus; tum demum a Satisfactione, quae quamvis sit etiam actus justitiae, tamen non ordinatur ad reparandum damnum ut damnum est, sed solum ad reparandam injuriam, & inhonorationem. Unde duae praecipuae differentiae inter satisfactionem, & restitutionem oriuntur ex Sot., Sayr, & aliis. Prima est, quod Deo possit quidem exhiberi satisfactio, non vero restitutio, quia Deus potest quidem dehonoriari, non autem damnificari; In hominibus vero, quia qui injuriatur, hoc ipso damnificatur, ideo qui honorem ablatum reddit alteri, unico actu & satisfacit, & restituit; itaut ille idem actus, quatenus reparat dehonorationem, dicatur Satisfactio, quatenus vero reparat damnum per dehonorationem illatum, dicatur Restitutio. Altera est, quod raptor (quod ut docet D. Th. 2. 2. quaest. 66. art. 4., non solum infert damnum, sed etiam ignominiam) teneatur restituere simul, & satisfacere: Contra vero fur occultus, qui non dehonoriavit, sed solum damnificavit, non tenetur satisfacere, sed solum restituere. Non negaverim tamen, aliquando satisfactionem sumi large pro ipsa restitutione, ut in cap. *fn. De injuriis*, ubi Pontifex jubet tam pro injuria irrogata, quam pro damno illato satisfactionem fieri.

Dici

Dicitur tertio in definitione, *Dammum illatum a se*, quia si quis reficiat damnum non a se, sed ab alio illatum, facit solum actum eleemosynæ, & charitatis, non restitutionis, & justitiæ. Dicitur demum *Proximo*, quia justitia respicit alterum, & non potest esse ejusdem ad seipsum: Nec potest restitutio exerceri erga Deum, quia Deo damnum nequit inferri.

IV. Quæritur secundo, Utrum restitutio sit actus solius justitiæ commutativæ, an etiam distributivæ, itaut ad restitutionem teneatur etiam, qui justitiam distributivam violavit, distribuendo beneficia, officia publica, aut alia bona communia indignis, aut minus dignis, prætermisissis dignioribus?

Respondeo, Justitiæ virtutem dividi in Commutativam, Distributivam, Legalem, & Vindicativam: Per justitiam commutativam datur aliquod bonum particulare alteri, quod illi debetur. Per justitiam distributivam distribuitur multis aliquod bonum commune, puta officia, beneficia, dignitates, stipendia, &c., juxta proportionem meritorum, & personarum; & ideo vitium huic justitiæ oppositum dicitur *Acceptio personarum*: Hanc autem proportionem rerum ad merita personarum Aristot. lib. 5. Ethic. cap. 3. appellat *Geometricam*; sicut æqualitatem rei ad rem, quæ est propria justitiæ commutativæ, c. 4. dixit esse secundum proportionem *Arithmeticam*. Per justitiam Legalem Princeps condit leges respiciendo bonum Communitatis, & non particularium personarum; ut quando præcipitur, ne frumentum extrahatur, ut veritas testificetur, &c.: demum per justitiam Vindicativam iudex punit reos juxta meritum delictorum. Justitia Legalis dicitur *Generalis*, & *Publica*, sicut etiam *Vindicativa*; quia respiciunt bonum publicum: *Commutativa* vero, & *distributiva* di-

cuntur justitiæ particulares, quia respiciunt bonum particularium personarum. His explicatis,

V. Dico, Restitutionem esse actum solius justitiæ commutativæ, atque adeo ex violatione justitiæ pure distributivæ nullam oriri obligationem restituendi. Ita communius apud De Lugo disp. 1. sect. 3. contra Petrum Navar., Vasq., Dicast. de Justitia lib. 2. tract. 2. Ratio ex D. Th. 2. 2. quæst. 62. art. 1. est, quia restitutio fit per compensationem rei ad rem secundum proportionem arithmetice, itaut tantum præcisè reddatur, quantum sublatum est, nullam habendo rationem personarum, aut meritorum; cum ex Philosopho illud sit proprium justitiæ commutativæ; ubi econtra *Distributiva* distribuit bona communia secundum proportionem geometricam, non per ordinem ad rem, sed ad merita personarum; ergo restitutio non potest esse actus distributivæ, neque ex violatione distributivæ oritur obligatio restituendi. Probaturs consequentia, quia merita personarum dant solum aptitudinem, & non conferunt jus strictum ullum ad bona communia; ergo cum per violationem distributivæ nullum jus strictum lædatur, non datur obligatio restituendi aliquid dignioribus prætermisissis.

Confirmatur, quia ad inducendam obligationem restituendi non sufficit violatio juris qualiscunque; nam sic etiam ex violatione gratitudinis, fidelitatis, amicitia, &c. consurgeret obligatio restituendi, seclusa omni læsione justitiæ commutativæ, quod nemo dixerit: Quare requiritur violatio juris strictè dicti, quod sit vel jus in re, vel ad rem: Qui autem violat justitiam distributivam conferendo bona communia minus dignis, quamvis irroget aliquam injuriam dignioribus, & violat jus aliquod, quod habent ad ea bona, non tamen violat jus strictè dictum;

etum; quia digniores neque habent jus in re relate ad bona communia, ut patet, quia aliter non essent communia, sed propria illorum; neque habent jus ad rem, ut mox explicabimus; ergo per violationem distributivæ non oritur obligatio restituendi.

VI. Rogabis, Quid sit jus strictum in re, & ad rem?

Respondeo, hoc nomen Jus sumi dupliciter, Primo pro lege, quæ est regula iusti, unde dicimus dari Jus Naturale, Positivum, Divinum, Humanum, & Jus Gentium, quod scilicet passim omnes gentes servant; necnon Jus Civile, quod auctoritate Principis sæcularis est conditum, & Jus Canonicum, quod scilicet auctoritate Pontificis, vel Conciliorum in Sacris Canonibus conditum est. Secundo, accipitur Jus pro potestate legitima (hoc est a lege concessa) ad aliquid acquirendum, possidendum, alienandum, &c. Cujus violatio fert injuriam; & hoc modo sumptum dividitur in Jus ad rem, & in re. Jus ad rem dicitur, quod non tribuit actionem in rem, sed in personam; & tale jus competit per donationem, emptionem, stipulationem, aliosque contractus ante traditionem rei; Nam si res, verbi gratia, tibi donata, vel vendita, ante traditionem alteri vendatur, & tradatur, non poteris rem illam tibi vindicare, ex leg. *Quoties*, Cod. *De rei vindicatione*, cum non habeas jus in re, seu jus perfectum erga rem illam, sed tantum actionem personalem in eum, qui te fraudavit. Tale jus ad rem habetur etiam per Electionem, Postulationem, & Præsentationem ad beneficium; sicut etiam per Collationem beneficii ante acceptationem; necnon per successionem hereditatis ante acceptationem. Ex quo patet, quod in casu nostro persona magis digna non habet jus ad rem relate ad bona communia distribuenda per hoc

præcise, quod habeat majora merita, quam persona minus digna. Jus vero in re dicitur, quod tribuit actionem realem, hoc est in rem ipsam obligatam, itaut possis illam tibi vindicare; & tale jus ordinarie acquiritur per titulum simul, & traditionem; verbi gratia, per donationem, emptionem, aliosque contractus, secuta traditione rei: Potest etiam acquiri per collationem beneficii, aut per testamentum, aut successionem ab intestato, secuta tamen acceptatione beneficii, aut hereditatis. Acquiritur etiam per apprehensionem rerum illarum, quæ nullius sunt; necnon per legem, seu voluntatem superioris potentis de re disponere. Tale jus dicitur Perfectum, dividiturque in Dominium, Usus, & Ususfructus. Dominium est jus disponendi de re. Usus est jus tantum utendi de, salva ejus substantia; itaut nec possit ea alteri locari, nec gratis dari; ad usum. Ususfructus est jus utendi, & fruendi re, salva ejus substantia; itaut possit alteri talis ususfructus concedi, ut notat Less. cap. 3. dub. 6.

VII. Opponitur primo adversus hanc communiolem sententiam; Qui male distribuit bona communia, tenetur sæpe restituere; nam si testator, verbi gratia, relinquat aliquam summam distribuendam civibus pro merito personarum, & Cajus hæres Titio, cui debentur decem ob meritum, & gradum propriæ personæ, det solum quinque, certe tenetur de propriis bonis restituere alia quinque, in quibus Titium injuste damnificavit; Hac autem restitutio videtur esse actus justitiæ distributivæ; quia est emendativus injustæ distributionis; ergo falsum est, restitutionem esse actum solius justitiæ commutativæ.

Respondeo cum Cajet., tam violari justitiam commutativam, si tollatur a domino bonum aliquod proprium

prium illius, ad quod habet jus in re, verbi gratia equum; quam si impediatur, ne quis acquirat aliquod bonum, quod est illi appropriandum ex justitia, seu ad quod habet jus strictum ad rem; verbi gratia ne acquirat hæreditatem debitam ex justitia. Hoc posito, ad argumentum concedo majorem, nego tamen minorem: Restitutio enim in tali casu debita esset actus justitiæ commutativæ, quia Cæsus male distribuendo violaret justitiam commutativam tollendo a Titio decem, quæ illi erant approprianda ex justitia; nam cum relicta sit summa illa distribuenda pro merito personarum, Titius habens meritum ut decem, habet consequenter jus strictum justitiæ ad decem, ortum ex donatione Testatoris; & consequenter, si illi non dentur decem, violatur justitia commutativa, & ideo datur obligatio restitutionis: Quod tamen non accidit in distributione bonorum communium, puta beneficiorum, officiorum, &c., quæ non sunt approprianda dignioribus ex obligatione justitiæ; cum digniores non habeant jus strictum ad illa, sed approprianda sunt ex obligatione, quam habet distributor consulendi bono Ecclesiæ, & bono publico; & ideo qui beneficia, vel munera publica contulit indignis, aut minus dignis violando tantum justitiam distributivam, non debet quicquam restituere dignioribus prætermisiss.

Instabis: in primo casu Titius habens merita ut decem, habet jus strictum ad decem, eo quod summa illa distribuenda sit pro meritis personarum; ergo cum beneficia, & officia publica distribuenda sint etiam pro merito personarum, digniores habent jus strictum ad illa, & consequenter etiam in secundo casu violatur justitia commutativa, & datur obligatio restituendi.

Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu jus strictum ad rem oritur ex donatione facta a testatore in bonum privatum illorum civium, juxta meritum personarum. In secundo casu non habetur donatio facta in bonum alicujus privati, sed beneficia, & officia publica distribuenda sunt primo, & per se propter bonum publicum; & ideo digniores non habent jus strictum ad illa, sed solum aptitudinem majorem, ut illis conferantur. Quare jus strictum haberi potest solum relate ad bona, quæ relinquuntur primario in bonum privatum, non vero relate ad bona communia, quæ primo, & per se relinquuntur in bonum publicum.

VIII. Opponitur secundo. In multis aliis casibus, tam qui peccat contra justitiam distributivam, quam qui contra vindicativam tenetur ad restitutionem, & talis restitutio non potest reduci ad actum commutativæ; ergo falsum est omnem restitutionem esse actum solius commutativæ. Antecedens probatur, quia per læsionem justitiæ distributivæ tenetur ad restitutionem, Primo Episcopus conferens beneficia indignis, vel minus dignis, relicta dignioribus, præsertim in concursu. Secundo Princeps, si male conferat officia secularia Gubernatoris, Judicis, &c. quando instituta sunt in præmia meritorum. Tertio Dux non largiendo hostium spolia juxta meritum, & dignitatem militum; Ac demum Judex per læsionem vindicativæ, quando punit reum supra gravitatem, & demeritum delicti.

Respondeo cum D. Th. 2. 2. quæst. 62. art. 1., Lug., Bonac., Laym., & aliis communiter, in omnibus his casibus peccari non solum contra distributivam, aut vindicativam, sed etiam contra commutativam, ut diximus in prima objectione; & ideo restitutionem

nem

nem in his casibus esse actum justitiæ commutativæ, itaut etiam quando talis actus emendat peccatum contra distributivam, emendet pariter peccatum contra commutativam procedendo per comparationem rei ad rem, reddendo dumtaxat id, ad quod jus strictum habeatur.

Ad primum itaque casum, Episcopus conferens beneficia aut indignis, aut minus dignis, ideo sæpe tenetur ad restitutionem, quia non solum peccat contra justitiam distributivam, sed etiam contra commutativam violando jus strictum justitiæ; Nam vel illa confert in concursu plurium, vel sine concursu; Si in concursu, violat jus strictum concurrentium contra tacitum pactum, seu contractum inter Prælatum, & concurrentes; ex quo pacto quando plures concurrunt, & examini se subjiciunt, acquirunt jus strictum ad beneficium, si prævaleant; ut communius docent contra Navar. & Sot. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 110. Et idem dicas de habentibus plura suffragia ad aliquam dignitatem. Si vero collatio beneficii fiat sine concursu, peccat Episcopus violando jus strictum, quod habet Ecclesia, ut conferatur dignioribus; dum enim traditur Episcopo munus Episcopale, intercedit implicitus contractus inter Episcopum, & Ecclesiam, quod dispensentur beneficia in bonum Ecclesiæ, cui donata sunt, atque adeo dignioribus. Quare in primo casu Episcopus tenetur ad compensationem damni illati concurrentibus; in secundo tenetur ad compensationem damni illati Ecclesiæ.

IX. Ubi notandum, damnatam esse ab Innoc. XI. propol. 47. qua dicebantur posse promoveri ad Ecclesias digni, prætermisissis dignioribus: Hæc sunt verba proscripcta thesisi: *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter pecca-*

re, qui nisi quos digniores, & Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hoc, digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; Vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus. Quare communiter apud Dian. part. 5. tr. 5. resol. 13. docent beneficia curata sine mortali dari non posse dignis, omissis dignioribus; Sicut nec beneficia simplicia, si dentur in concursu: At si dentur extra concursum, negant aliqui apud Dian. part. 2. tract. 15. resol. 38. Episcopum peccare mortaliter, si ea conferat dignis, omissis dignioribus; quia Trident. solum loquitur de beneficiis curam animarum habentibus; unde videtur relinquere arbitrio Papæ, & Episcoporum alia beneficia etiam magni momenti, (ut sunt Canonicatus) quod conferantur dignis ministris, qui licet non sint meliores, tamen non sint otiosi, nec cum scandalo vivant. Sed communius docent cum Vasq., in hoc etiam casu peccare Episcopum mortaliter, nisi excuset parvitas materiæ; tum quia violatio justitiæ distributivæ ex genere suo est mortale; tum etiam quia Episcopus, etiam quando confert beneficia simplicia, debet consulere quantum potest bono Ecclesiæ, atque adeo conferre illa dignioribus: Unde etiam fit teneri ad compensationem damni, quod Ecclesia patiretur; Secus vero ad nullam restitutionem teneretur, ut notat Less cap. 32. dub. 2., quia non peccaret contra justitiam commutativam, sed solum contra fidelitatem debitam Ecclesiæ, ex qua tenetur constituere ministros quam maxime idoneos; non secus ac Æconomus ex fidelitate debita domino debet conducere operarios quam maxime idoneos.

Ad

Ad secundum casum: Quod diximus de Episcopo conferente beneficia, dicas de Principe conferente officia Gubernatoris, Judicis, &c. aut indignis, aut minus dignis; nam si conferat indignis, peccat adversus justitiam commutativam, seu adversus jus strictum Reipublicæ, unde tenetur illi damnum compensare: Si vero ea conferat minus dignis, peccat quidem mortaliter, (ut diximus cum communiori in calce articuli quarti quæstionis undecimæ cum de Præceptis Decalogi) sed quia solum peccat contra fidelitatem debitam Reipublicæ, non contra justitiam, neque tenetur ad restitutionem, si nullum inde damnum sequatur.

X. Ad tertium casum: Dux non distribuendo spolia hostium pro merito militum, peccat etiam contra commutativam, violando jus strictum acquisitum a militibus, sive ex Principis voluntate, seu donatione sic disponente in bonum Reipublicæ, sive acquisitum ex proprio labore ad Regni incolumitatem adhibito; & ideo injuste distribuendo ad restitutionem tenetur: Ad eum modum, quo qui bona accepit distribuenda pauperibus juxta cujusque inopiam, peccat contra commutativam, si aliter distribuatur, & tenetur ad restitutionem.

XI. Ad ultimum casum pro Justitia vindicativa, seu punitiva dico, quod si judex puniat reum ultra demeritum, tenetur ad compensationem damni illati; quia non solum peccat contra vindicativam, quæ dicitur puniri reum pro demerito culpæ; sed etiam contra commutativam, quia violat jus strictum, & rigore dicitur, quod habet reus, ne sibi tollantur bona vitæ, corporis, aut fortunæ ultra quod demeretur. Quod si Judex puniat reum citra condignum, tenetur pariter ad restitutionem, si

Pars III.

aliquod damnum inde sequatur in Republica; quia violat jus, quod habet Respublica, ut a Judice puniantur delinquentes; Ex quibus omnibus constat, solum ex violatione juris strictæ dicti oriri obligationem restitutionis. Utrum autem ex damnificatione contra charitatem, aut alias virtutes detur obligatio restitutionis, dicemus art. 3.

XII. Colliges ex dictis primo, eum, qui negavit in judicio veritatem, non teneri ad solvendam pœnam, ad quam fuisset condemnatus, si veritatem confessus esset. Ratio est, quia non violat justitiam commutativam; quia is, cui applicanda fuisset talis pœna, non habet jus ad illam ante sententiam judicis; Quare negando veritatem solum violat justitiam legalem, seu publicam, quæ obligat ad veritatem manifestandam, ut crimina puniantur: Contra vero si Titius in judicio falsum dixerit adversus aliquem, tenetur ad restitutionem damni inde secuti, quia violat jus strictum, quod quilibet habet, ne positive ab alio lædatur: Eadem ratione tenetur Confessarius ad restitutionem, si positive deobliget pœnitentem, qui ad illam tenetur, quia positive concurreret suo consilio, & esset causa efficax damni: Utrum autem teneatur ad restitutionem, si ex malitia, aut ignorantia crassa omittat monere talem pœnitentem, ut restituat, examinabimus articulo ultimo.

Colliges secundo, quod si Advocatus, & Procurator ex gravi culpa sint in causa, cur aliquis, cui consuleret ex justitia tenentur, patiat grave damnum, ad restitutionem teneantur. Idem dicas de Judice, & Gubernatore, qui ex officio, & justitia tenentur cavere damnum tertii; Nam cum quilibet ex Republica concurrat ad solvendum pretium Gubernatori, & Judici, a quo rite gubernentur,

B tur,

tur, & judicentur, quilibet habet jus rigorosum, ut Gubernator, & Judex caveant damnum ipsorum.

XIII. Colliges tertio, quod si unus, vel pauci convenient ad emendas omnes merces alicujus generis, ut eas afferent in tempus inopiae, animo vendendi illas carius, probabiliter non teneantur ad restitutionem ullam ex tali monopolio; ut docent Lefs., & Molin. contra Medin., & alios apud Bonac. disp. 3. quaest. 2. punct. 5. Ratio est, quia quamvis graviter peccent contra charitatem, tamen probabiliter non peccant contra justitiam commutativam; cum non sit certum, quod Respublica habeat jus strictum, ne mercium pretium hoc modo augeatur; Quandoquidem qui emit omnes merces alicujus generis, non peccat contra justitiam emendo; nec peccat contra justitiam supprimendo merces illas usque ad tempus inopiae, eo quod ex justitia non teneatur illas vendere; solum itaque peccat contra charitatem, aut ad summum contra justitiam legalem, si id lege prohibitum sit; & ideo ad restitutionem damni in Republica secuti non tenentur.

Colliges ultimo, eum, qui transfert triticum extra territorium contra Principis edictum, non teneri ad ullam restitutionem, quamvis ex violatione talis legis pretium frumenti notabiliter augeatur. Ratio est eadem, quia violatur in tali casu solum justitia legalis, & publica, non vero particularis, & commutativa.

ARTICULUS II.

De Necessitate Restitutionis faciendae.

I. Necessarium ad salutem bifariam sumi potest, vel pro necessario ne-

cessitate medii, vel pro necessario necessitate praecepti.

II. Restitutio est ad salutem necessariam solum necessitate praecepti.

III. Cur Baptismus in re, aut in voto sit necessarius necessitate medii?

IV. Praeceptum de restituendo videtur principaliter esse de actu positivo, atque adeo affirmativum, & minus principaliter negativum.

V. Praeceptum restituendi diversum est a praecepto non furandi; hoc est negativum, illud vero positivum.

VI. Sunt duo praecepta, Non furari, & Non retinere rem alienam; quia tamen eidem virtuti opponuntur, non committit duo peccata specie diversa; qui utrumque praeceptum transgreditur.

VII. Quot peccata committit, qui oblata opportunitate restituendi non restituit?

VIII. Actus nostri non interrumpuntur moraliter per actus contrarios dumtaxat, sed etiam aliis viis.

I. **S**upponendum dupliciter posse aliquid esse necessarium ad salutem: Primo necessitate medii, quando scilicet aliquid est ita necessarium, ut eo etiam inculpabiliter praetermissio salus obtineri non possit; & talis est baptismus, & post peccatum actuale mortale Sacramentum poenitentiae sive in re, sive in voto susceptum; Necnon fides explicita Dei etiam ut remuneratoris; cum opposita opinio damnata sit ab Innoc. XI. in thesi 22. quae habet: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.* Secundo aliquid est necessarium ad salutem necessitate praecepti; quando scilicet praecepto graviter obligante aliquid necessario ponendum est, ita tamen, ut si ex ignorantia inculpabili, aut ex impotentia praetermittatur, adhuc possit salus aeterna

na obtineri; ut est, verbi gratia, jejunium quadragesimale, auditio missæ die festo.

II. Quæritur nunc primo, Utrum restitutio sit necessaria necessitate solum præcepti, an etiam necessitate medii?

Respondeo cum communi solum esse necessariam necessitate præcepti; etenim prætermissa restitutione ex ignorantia invincibili, aut ex impotentia, adhuc potest quis salvari. Habetur tamen de illa præceptum tum naturale fundatum in illo naturæ dictamine, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*: tum positivum; nam Matth. 27 dicitur: *Reddite, quæ sunt Cesaris, Cesari*. Et ad Roman. 13. *Reddite omnibus debita*. Et in Regul. 4. juris: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*; videlicet, ut notat D. August., quando restitui potest.

Unde sequitur, falsam esse doctrinam Angeli V. *Executor* num. 23., ubi docet non liberari a purgatorio eum, qui in vita restituere debebat, quousque ejus debita ab hæredibus solvantur: Hinc enim sequeretur, quod pœna purgatorii posset esse æterna, si scilicet talia debita nunquam ab hæredibus solvantur; quod tamen est impossibile, cum decedens in gratia habeat jus ad gloriam.

III. Opponitur: Tam qui non suscipit saltem in voto, verbi gratia, baptismum, quam qui non habet votum, seu desiderium, ac propositum restituendi, si potest, damnatur; ergo sicut baptismus saltem in voto susceptus est necessarius etiam necessitate medii, ita pariter restitutio.

Respondeo, concessio antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia Baptismus est id, per quod Deus gratiam, & salutem æternam confert, & idcirco votum illius est votum medii positi a Deo ad salutem acquirendam: Contra tamen Resti-

tutio non est id, per quod confertur gratia: Quare licet ad salutem requiratur votum, seu propositum servandi omnia præcepta, atque adeo restituendi, non secus ac requiritur votum baptismi; at votum servandi omnia præcepta, & eatenus restituendi non est votum ponendi medium a Deo institutum ad collationem gratiæ, & gloriæ, & idcirco restitutio in voto non dicitur esse necessaria necessitate medii, sicut est baptismus in voto, & Sacramentum penitentiae.

IV. Quæritur secundo, Utrum præceptum restituendi sit negativum, quod scilicet obligat semper, & ad semper, an vero affirmativum, quod scilicet obligat semper, non tamen ad semper, sed ad ponendum actum tempore determinato?

Respondeo, Petrum Navar., Medin., Angel., Lug. docere, quod sit negativum; Vasq. tamen, Less., Sot. docent esse affirmativum: Demum Cajet., Valent., & alii docent partim esse negativum, partim affirmativum; Etenim cum ex justitia obligemur tam ad non retinendum alienum, quam ad refarciendum damnum illatum; quatenus obligamur ad primum, præceptum dicitur esse negativum, quatenus vero obligamur ad secundum, dicitur esse affirmativum.

Equidem censeo cum Tambur. cap. 1. contra Laym. cap. 2. præceptum restitutionis esse quidem negativum simul, & affirmativum, sed principaliter, & absolute esse de actu positivo, atque adeo affirmativum, minus principaliter vero esse negativum. Ratio est, quia restitutio est actus positivus trahens secum, & includens non retinere alienum, non tamen e contra. Nam qui domum alterius, verbi gratia, incendit, & qui impotens est reddere, certe non retinet alienum, & tamen non proinde observat præceptum restitutionis; ergo hoc præceptum

ptum non est principaliter de non retinendo alieno, sed de refarciendo damno illato.

V. Unde sequitur, præceptum non furandi non esse idem ac præceptum restituendi; Illud enim est negativum prohibens malum, hoc vero est positivum præcipiens actum bonum; Illud prohibet accipere rem alienam invito Domino; hoc imperat rem acceptam reddere, & damnum compensare: Quare præceptum restituendi præsupponit præceptum non furandi, & consequenter hæc duo præcepta distinguuntur.

Confirmatur, quia Restitutio non semper fit ob furtum, sed etiam ob homicidium, stuprum, &c., In quibus casibus, sicut præceptum de restituendo non est idem cum præcepto de non occidendo, ita in casu nostro, nec est idem cum præcepto de non furando; reduci tamen potest ad præceptum non furandi, quatenus est remedium emendativum furti; in quo sensu reduci etiam potest ad præceptum de non occidendo.

VI. Dices: Præceptum restituendi est idem, ac præceptum non retinendi alienum; sed præceptum non retinendi alienum est idem, ac præceptum non furandi, quia retentio alieni est furtum continuatum; ergo præceptum restituendi est idem, ac præceptum non furandi.

Respondeo, nego majorem; nam, ut diximus, qui equum alterius, verbi gratia, occidit, nihil retinet alienum, & tamen restituere tenetur: Sed transmissa majore, (quatenus qui debet restituere, debet non retinere id, ad quod alter habet jus, ut explicat Lugo) nego minorem; quamvis enim eidem virtuti justitiæ opponatur furtum, & retentio rei alienæ, atque ista moraliter æquipolleant, ex D. Th. 2. 2. quaest. 66. art. 3. nihilominus furari est accipere alienum, retinere

vero non importat accipere, sed conservare rem acceptam; ergo præceptum non retinendi supponit præceptum non furandi; sicut conservare rem acceptam præsupponit acceptationem, & consequenter non sunt idem præceptum. Per hoc tamen non fit, quod retinens alienum duo peccata committat; nam, ut alias diximus, non multiplicantur peccata ex multiplicatione præceptorum, quæ violantur, sed ex multiplicatione deformitatum contra virtutem, seu rectam rationem; cum autem eidem virtuti justitiæ opponatur furari, & non restituere, unum omnino peccatum est utrumque præceptum transgredi.

VII. Petes tamen, quot peccata committat, qui oblata opportunitate restituendi non restituit?

Respondeo cum Bonac. quaest. 7. num. 9., tot peccata numero distincta committi, quot sunt actus intentionis, seu voluntatis non restituendi moraliter interrupti. Quomodo autem interruptantur actus interni, explicabimus in de Pœnitentia; Num scilicet interruptantur moraliter per actus oppositos, an per hoc, quod prior actus non amplius virtualiter duret; num per distractionem voluntariam, an etiam per involuntariam. Illud solum hic advertimus cum Molin., & Bonac. loc. cit., confessarium non debere esse scrupulosum in investigando numero actuum internorum moraliter interruptorum, quia non conveniunt Doctores in assignanda ratione hujus moralis interruptionis. Quare satis est investigare quantum temporis res aliena detenta fuit; sic enim facile plus, vel minus cognoscetur numerus peccatorum, & status pœnitentis: Sicut fieri consuevit cum meretrice, quando numerus peccatorum facile cognosci non potest; tunc enim satis est cognoscere, quamdiu se omnibus expolitam habuerit, & cum quo genere personarum.

VIII.

VIII. Petrus Navar. lib. 4. cap. 4. putat, unum tantummodo peccatum committi ab eo, qui per multum temporis non restituit, si tale peccatum per propositum restituendi non interrumpatur; censet enim actus internos moraliter interrumpi per actus contrarios dumtaxat. Sed communior sententia est in contrarium; communiter enim Doctores censent peccatum hoc interrumpi moraliter, non solum per actum contrarium, seu per propositum restituendi, sed etiam per hoc, quod non censeatur amplius virtualiter perseverare, sive desinat perseverare virtualiter per quamcumque distractionem etiam involuntariam, per somnum, &c., ut multi docent, sive per hoc, quod cesset obligatio restituendi ex aliquo capite, puta ex impotentia, & deinde reviviscat, sive per hoc, quod iterum quis utatur re aliena, aut illam vendat, donet, &c.; vel si appareat novum damnum confurgere creditori ex omissione restitutionis; puta si in carcerem detrudendus sit, eo quod non habeat unde alteri solvat, quod debet; Sic enim hæc voluntas causandi novum damnum non continetur moraliter in illo peccato retentionis rei alienæ, atque adeo videtur esse novum peccatum in confessione aperendum modo explicato.

ARTICULUS III.

Quænam sint radices, unde provenit obligatio restituendi?

- I. Duplex est radix, ex qua sequitur obligatio restitutionis, videlicet *Injusta acceptio, & Res accepta.*
- II. Obligatio restitutionis orta ex prima radice injuste acceptionis haberi non potest citra actionem damnificationis; secus vero si oriatur ex secunda radice rei acceptæ.
- III. Non cessat obligatio restitutionis ci-

tra restitutionem, si ea oriatur ex prima radice; potest tamen sine restitutione cessare, si ex secunda radice oriatur.

- IV. Quando oriatur onus restitutionis ex prima radice, nullum debet pati damnum damnificatus; quando vero oriatur ex secunda, nullum debet pati damnum, qui restituit.
- V. Sicut non consurgit onus restitutionis ex læsione justitiæ distributive, Legalis, aut Vindicative, ita neque ex damnificatione contra alias virtutes a justitia.
- VI. Hinc non tenetur ad restitutionem Medicus, si ex incuria agrotum occidat, quando nullo accepto stipendio medetur: Nec Clericus alium inadvertenter occidens vacando venationi prohibita: Nec omit- tens succurrere extreme indigenti: Nec violans justitiæ legalem.
- VII. Qui alium inadvertenter infamavit, ubi id advertit, tenetur famam restituere ex titulo injuste acceptionis potius, quam rei acceptæ.
- VIII. Judex ad restitutionem tenetur, si pecuniam accipiat pro ferenda sententia justa, non tamen si accipiat pro ferenda sententia injusta, patratæ tali scelere.

I. **P**remitto duas potissimum assignari radices, seu capita, unde pullulat onus restituendi. Prima est injusta acceptio rei alienæ. Secunda est ipsa res aliena accepta, videlicet sine iusto titulo. Ratio est, quia restitutio est actus justitiæ commutativæ, ponens aequalitatem inter debitorem, & creditorem; cum autem duobus titulis possit aliquis esse creditor, vel quia injuste aliquid ab eo acceptum est, vel quia eo invito res sua detinetur; ideo duplex datur caput restitutionis, Injusta acceptio, & Res accepta: Quæ tamen capita aliquando etiam concurrunt; nam si quis, verbi gra-

gratia, injuste accipiat equum alienum, & invito domino illum retineat, ex utroque capite tenetur restituere; Quando vero equus post injustam acceptio- nem moritur, tunc fur tenetur resti- tuere solum ex primo capite injustae acceptionis, non vero ex re accepta, cum illam non habeat: Quod si equus in tuum stabulum sine tua culpa tran- seat, tunc solum teneris restituere ex secundo capite, videlicet ex re acce- pta, non vero ex injusta acceptione. Alii cum Diana assignant tertiam ra- dicem restitutionis, videlicet ex con- tractu injusto, sed hæc ad primam radicem injustae acceptionis reducitur: Ex contractu vero justo (sicut etiam ex lege positiva non præsupponente damnificationem injustam) non oritur obligatio restitutionis strictè dictæ, ut quando quis debet reddere depositum, aut solvere gabellas, vel pretium rei emptæ, quia in tali casu non habetur compensatio damni illati, ut diximus art. 1. Quartam alii radicem recen- sent, videlicet ex injusta damnificatio- ne, quando scilicet pure damnificatur alter sine propria utilitate, verbi gratia occidendo ejus equum, incendendo domum &c.; Hæc autem radix com- munitè a Theologis cum D. Th. apud Croix n. 18. reducitur ad primam ra- dicem injustae acceptionis, quatenus isthæc damnificatio est quædam acce- ptio, seu subtractio rei alienæ.

II. Inter has duas radices resti- tutionis multiplex intercedit discrimen: primum est, quod obligatio orta ex injusta acceptione haberi non possit si- ne actione damnificativa, (& quidem externa; nam per meram internam operationem nemo in re damnifica- tur;) & ideo dicitur esse obligatio ex delicto: Econtra obligatio orta ex re accepta haberi potest sine ulla ac- tione læsiva, sed præcisè per hoc, quod res aliena accepta habeatur sive in se, sive in suo effectu, puta in lu-

cro inde deducto.

III. Secundum discrimen est, quod prior obligatio non cessat nisi posita restitutione: Posterior vero cessare potest etiam sine restitutione; nam si res accepta apud te inculpabiliter pereat, non teneris restituere; Si ta- men illam inculpabiliter consumas, sed per illius consumptionem factus sis ditior; verbi gratia, si comedisti fru- mentum alienum pro tuo, quia tale frumentum in utilitate allata perseve- rat, teneris restituere solum illud, in quo factus es ditior, seu quantum consumpsisses de tuo frumento, si non habuisses alienum; Quod si res acce- pta pereat, postquam sciveris esse alie- nam, & ex gravi culpa distuleris re- stituere, teneris ad restitutionem ex capite injustae acceptionis: nisi tamen eodem modo certo res periisset apud dominum, ut infra dicitur.

IV. Tertium discrimen est, quod obligatus ad restitutionem ex prima radice tenetur ad illam, etiam cum suo detrimento; secus vero obligatus ex secunda radice. Et ratio est, quia sicut dominus rei nullum subire debet damnum ex injusta tua damnificatio- ne, ita tu nullum debes sentire da- mnum ex re accepta sine tua culpa. Ex quo fit, quod si dominus rei sit absens, tenearis restituere rem propriis expensis, si obligaris ad restitutionem ex prima radice, prout infra explica- bitur: Econtra si obligaris ex secunda radice, satis est, ut moneas domi- num de re sua, ut ille suis expensis illam recuperet. His explicatis, qua- rendum ex quanam damnificatione, ac deinde in articulo sequenti ex qua- nam culpa oriatur obligatio resti- tutionis. Ostendimus autem in primo articulo, ex violatione justitiæ distribu- tivæ, Legalis, aut Vindicativæ non oriri hanc obligationem, discutiendum nunc an oriatur ex læsione aliarum virtutum a justitiâ Commutativa; un- de

de prima radix obligans reum ad restitutionem sit solum injusta acceptio, seu damnificatio.

V. Quæritur itaque, An obligatio restituendi confurgat etiam ex damnificatione contra alias virtutes a justitia? Verbi gratia, si quis ex odio Titii illum juste ad mortem damnet, aut occidat, ac bona ejus incendat; Aut si vovens dare eleemosynam Petro, illam deneget, unde Petrus grave damnum subeat; Aut si quis non impediatur homicidium, vel furtum, peccando solum contra charitatem, non contra justitiam, utrum teneatur in his casibus ad restitutionem, quamvis non interfuerit injusta acceptio, seu damnificatio adversus justitiam commutativam?

Respondeo negative cum communi contra Ricchard., Cajet., Angel., Gabriel., Valent. disp. 5. quæst. 6. num. 3. Ratio est, quia ex illa virtute oritur obligatio restituendi, cujus virtutis est actus ipsa restitutio; sed restitutio est actus justitiæ, & quidem commutativæ; ergo ex violatione solum hujus virtutis oritur obligatio restituendi. Major patet. Minor constat ex dictis art. I. Restitutio enim est compensatio damni illati secundum æqualitatem arithmeticam; ergo debet supponere jus strictum in alio, ex cujus læsione detur obligatio compensationis; hoc autem jus a sola justitia commutativa respicitur; ergo restitutio est actus solius commutativæ; atque adeo sicut non confurgit onus restitutionis ex læsione justitiæ distributivæ, Legalis, aut Vindicativæ, ita a fortiori neque ex damnificatione contra alias virtutes a justitia.

VI. Hinc deciduntur innumeri alii casus. Primo enim si ægrotus moriatur ex incuria medici, qui nullum stipendium accipit, medicus non tenetur ad restitutionem; quia solum peccavit contra charitatem, non contra

justitiam; contra quam peccaret, si stipendium acciperet; Sicut etiam si promittendo gratis operam suam ægroti, esset causa damni non observando promissum; Nam, ut notat Less. lib. 2. cap. 18. num. 17. qui non observat promissionem, quamvis non teneatur restituere lucrum cessans, tenetur tamen compensare omne damnum emergens, cujus ipse est causa non observando promissum; unde in his casibus ad restitutionem Medicus teneretur.

Secundo, si quis navans operam rei illicitæ, exempli gratia si Clericus navans operam venationi clamorosa, inculpabiliter occidat hominem putans esse feram, non tenetur ad restitutionem, quia peccavit solum contra obedientiam venando, non contra justitiam occidendo inadvertenter.

Tertio, si quis omittat succurrere extreme indigenti, non tenetur deinde restituere illam eleemosynam denegatam, aut compensare damnum inde secutum, quia obligatio succurrendi oriebatur ex charitate, & misericordia, non ex justitia.

Quarto, qui segetem, verbi gratia, ab alio incensam non extinguit, cum commode possit, non tenetur ad restitutionem, quia peccat solum contra charitatem, non contra justitiam, si non sit custos, nec suæ curæ seges sit commendata; Quod si ipse alienam segetem inculpabiliter incendat, & non statim extinguat, cum commode possit, tunc contra justitiam peccat, & ad compensationem damni obligatur, ut docent communiter.

Quinto, si reus legitime interrogatus neget veritatem, unde damnum fisco, vel alteri sequatur, non tenetur ad restitutionem, ut notat Tambur. cap. 2.; quia solum peccat contra justitiam legalem; cum non teneatur ex commutativa justitia dicere veritatem, aut procurare utilitatem aliorum; idem-

demque probabiliter docent Less., Sanch., & alii apud Trull. de Testibus, ut diximus in tractatu de Legibus quaest. ult. art. 3. Nec tenetur ad restitutionem Judex, qui iuste reum condemnat secundum allegata, & probata; quamvis blandis verbis, aliisque modis contra charitatem exhibitis extorserit ab illo confessionem, unde damnetur: Et universim qui iustitiam distributivam, aut legalem, vel vindicativam violat sine violatione commutativae, ad restitutionem non tenetur, ut ostendimus art. 1.

VII. Opponitur ad haec: Qui aliquem inculpabiliter, aut saltem sine gravi culpa propter inadvertentiam infamavit, ex communi sententia tenetur ad restitutionem famae, quando advertit se illum infamasse; atqui ad hanc restitutionem neque tenetur ex re accepta, cum nihil alterius apud se habeat; neque tenetur ex peccato illo contra iustitiam, cum supponatur inculpabiliter illum infamasse; ergo falsum est, quod obligatio restitutionis solum oriri possit ex re accepta, aut ex peccato contra iustitiam, seu ex injusta acceptione.

Respondet Less. cap. 2. dub. 22. hunc ad restitutionem teneri ex re accepta, quia infamator retinet quodammodo famam alienam, cum in aliorum mentibus pravam opinionem inculpabiliter ingestam relinquit. Equidem respondeo cum Lug. disp. 15. detractorem in tali casu non teneri ad restitutionem ex re accepta; quia fama nullo modo potest dici quod sit apud detractorem, cum per detractionem extinguatur; sed teneri ex injusta acceptione; non quia peccaverit contra iustitiam, quando inadvertenter infamavit, sed quia peccat contra iustitiam, si advertendo ad damnum inculpabiliter illatum, non statim illud refarcit: Ac similiter qui inculpabiliter incendit domum alterius,

ubi advertit ad damnum inculpabiliter illatum, tenetur statim illud impedire pro viribus, ne ulterius prosequatur; & si non curet incendium extinguere, tenetur ad restitutionem ex titulo injustae acceptionis, seu damnificationis, quia scilicet non impediendo damnum inculpabiliter illatum, seu non extinguendo statim, quantum potest, incendium, peccat tunc contra iustitiam.

VIII. Ex dictis sequitur decisio celeberrimi illius dubii, de quo agemus quaest. 3. art. 1. An scilicet accepta ob turpem causam sint restituenda? Dicendum enim restituenda esse, si traditio, vel acceptio rei sit contra iustitiam, secus vero si sit contra alias virtutes: Quare, verbi gratia, restituendum est quod recipit Judex ad ferendam iustam sententiam & quod recipit Episcopus ad conferendum simoniace beneficium; sicut etiam quando filius familias, aut fur donant rem non suam. Contra vero non tenetur ad restitutionem Judex, qui recipit pecuniam ad ferendam sententiam injustam post patratum tale scelus; aut qui aliquid recipit ad se inebriandum, ad fornicandum, ad confingendum ludolum, &c., ut explicabimus in loco.

ARTICULUS IV.

Ex quam culpa contra iustitiam oriatur obligatio Restitutionis?

- I. *Culpa alia est Theologica, alia Juridica, & illa vel mortalis, vel venialis, sive ex parvitate materiae, sive ex imperfecta deliberatione; Haec vero vel lata, vel levis, vel levissima.*
- II. *Ad contrahendam obligationem restitutionis requiritur culpa Theologica contra iustitiam commutativam: Lata culpa juridica dicitur trahere onus restitutionis, quatenus ra-*

- ro admodum reperitur sine culpa Theologica.
- III. Si culpa isthac Theologica sit levis ex parvitate materia, irahit onus restitutionis sub levi; si vero sit levis ex imperfecta deliberatione, probabiliter ne sub veniali quidem parit ullam obligationem restituendi, etiam in materia gravi.
- IV. Leges civiles obligantes ad compensationem damni non obligant in conscientia, si absit culpa Theologica, qua ab iis presumitur.
- V. Si tamen leges civiles non sint presumpive, sed dispositiva, obligant in conscientia ad damnum compensandum, sed post sententiam Judicis.
- VI. Ex peccato veniali ex parvitate materiae contra justitiam potest per accidens oriri gravis obligatio restituendi; ut si in ultimo furtulo per accidens non advertatur ad praeterita.
- VII. Quoties plures ab eodem parvam materiam furantur, itaut unus advertat ad furtula aliorum, sed non sit causa moralis talis damni gravis, probabiliter non tenentur ad restituendam parvam illam materiam sub gravi; nisi forte ad id ex praecepto superioris adigantur.
- VIII. Ad quid tenetur, qui per negligentiam leviter culpabilem grave damnum inferi? Aut qui volens leviter damnificare, casu graviter damnificat? Aut Medicus, qui ex culpa levi juridica aegrotum occidit?
- IX. Levis negligentia, qua excusat a compensando damno Depositarium, non semper excusat Commodatarium, aut Locatarium.
- X. In dubio num res perierit ex culpa gravi, an levi, daturne onus restituendi?
- XI. Probabiliter propter grave damnum causatum ab actione externa de se
- Pars III.

- leviter damnificativa, posita cum intentione nocendi graviter, non datur onus restituendi sub gravi; Nec incurritur irregularitas, aut censura, vel reservatio propter tale delictum externe leve, sed interne grave, si verbi gratia, sic aliquis occidatur.
- XII. Non tenetur ad restitutionem, qui grave damnum intulit cum ignorantia antecedente; & probabiliter nec tenetur, si illud intulit cum ignorantia concomitante; secus vero si intulit cum ignorantia affectata, aut etiam crassa.
- XIII. Cur teneatur ad restitutionem, qui volens comburere domum Petri inimici, per accidens comburit domum Pauli amici; & ad restitutionem probabiliter non teneatur, qui volens occidere feram, per accidens occidit inimicum, quem conditionate vellet occidere, si ibi adesset?

I. **O** Ueritur primo, Ex quanam culpa contra justitiam oritur obligatio restituendi, ex gravine solum, an etiam ex levi, ex theologice tantum, (seu ex peccato contra Deum, ac legem divinam) an etiam ex culpa juridica, seu contra legem humanam?

Respondeo, certum esse primo, onus restitutionis oriri non posse ex sola culpa interna, quia haec sine actione externa non damnificat; Quare si iudex, verbi gratia, proferat sententiam injustam, & deinde deprehendat esse justam, peccavit quidem ex amore injustitiae, sed non tenetur ad restitutionem.

Certum est secundo, culpam aliam esse Theologicam, quam considerant Theologi, utpote contra legem divinam, aliam Juridicam, quam spectant Jurista pro foro externo, & juxta quam ferunt sententiam: Theologica est

est duplex, Mortalis, & Venialis; & hæc subdividitur in Venialem ex parvitate materiæ, & Venialem ex imperfecta advertentia, seu deliberatione: Culpa vero juridica, seu Civilis est triplex, Lata, Levis, & Levissima. Culpa lata importat omissionem ejus diligentia, quam adhibere solent in similibus casibus homines ejusdem professionis diligentes, ac prudentes; Verbi gratia, ut notat Sylvest., si librum commodatum reliquisti extra domum super lapide, aut in cubiculo, officio aperto, & non custodito, & proinde sublatus est, culpam latam commisisti. Non est vero lata culpa secundum Bartol., & Bald., si verbi gratia, pecuniam deposuisti apud camplorem, qui communiter habebatur bonæ conditionis, & quia revera non erat talis, pecunia amissa est. Culpa levis importat omissionem ejus diligentia, quam solent adhibere diligentiores, ut si rem commodatam relinquis in cubiculo officio clauso, quod tamen non dicitur potest aperiri. Culpa levissima est ommissio diligentia, quam adhibent diligentissimi, & maxime circumspiciti, ut si rem commodatam serves in arca, & illam claudas, sed deinde non tentes manu, an sit bene clausa.

Datur etiam apud Juristas culpa latior, & latissima. Latior confunditur cum lata, quando scilicet omittitur moralis diligentia, unde damnum sequitur sine advertentia, aut prævisione. Latissima, ut loquitur Tambur., dicitur esse apertus dolus; ut si quis omittat, vel agat aliquid animo, ut damnum, quod prævidet, sequatur. Quod si prævideat, sed non intendat tale damnum, dicitur dolus præsumptus.

Certum est tertio, culpam, quæ in aliqua occasione, verbi gratia in aliquo contractu, vel officio est levis, posse esse in alia occasione gravem; Etenim major diligentia, verbi gratia, adhibenda est in conservando the-

sauro, vel vita hominis, quam in conservanda gallina; unde ommissio diligentia, quæ in conservanda gallina est culpa levis, in conservanda vita hominis est culpa gravis; Et eodem modo major diligentia adhibenda est in custodia rei afferentis tibi utilitatem, vel lucrum, quam in custodienda alia re aliena; Proinde major debet esse diligentia in conservanda re commodata, quia contractus commodati est in tui utilitatem, quam in conservando deposito; cum contractus depositi sit in bonum deponentis illud. Quod si contractus sit in utilitatem utriusque, ut est contractus locati, seu conducti, diligentia media adhibenda est, ut notat Lug. disp. 8. sect. 4. His præmissis

II. Dico primo; ad incurrendam in foro interno obligationem restitutionis ratione injustæ acceptionis, requiritur culpa Theologica, seu peccatum in conscientia contra Deum, & contra justitiam commutativam. Ratio est, quia tota obligatio restitutionis, ut docent communiter, ex hac radice injustæ acceptionis, oritur ex delicto contra justitiam commutativam; ergo si in conscientia nullum sit delictum, nulla habetur obligatio restituendi in foro interno: (Quicquid sit, an aliquando habeatur talis obligatio pro solo foro externo ex jure positivo) Et sane cum impossibile sit vitare semper damna inculpabiliter illata; non debet læsus esse rationabiliter invitus de tali damno; nam sicut potest illud pati, ita potest inferre, & consequenter ubi in conscientia nulla est culpa, nulla est obligatio restitutionis.

Hinc sequitur primo, quod si miles pugnet in bello putato iusto, & deinde advertat bellum fuisse injustum, non debeat restituere damnum illatum, nisi ex eo factus sit dicitior, aut nisi extet res accepta. Secundo, si quis cum

cum moderamine inculpatæ tutelæ inferat alteri damnum, nec tenetur ad restitutionem. Tertio, nec tenetur, qui bona fide rem alienam consumpsit, nisi ex ea fiat ditior. Quare ubi Doctores docent, latam culpam inducere obligationem restitutionis, ideo docent, quia communiter talis culpa difficulter reperitur sine culpa theologica. Quod si reperitur sine hac culpa, certe obligationem restitutionis in foro conscientiæ non pariet.

III. Dico secundo. Culpa theologica contra iustitiam levis, seu peccatum veniale, si sit veniale ratione parvitatæ materiæ, inducit obligationem restitutionis sub veniali. Ita communiter. Ratio est, quia nisi restituatur materia illa parva, retinetur invito domino; Quodcumque autem invito domino retinetur, restitui debet; ergo datur obligatio restitutionis; quia tamen materia est levis, obligatio non potest esse sub gravi.

Dico tertio. Culpa theologica levis, seu peccatum veniale, si sit veniale ratione inadvertentiæ, vel indeliberationis, non parit in conscientia obligationem restituendi sub mortali, quantumvis damnificatio fuerit gravissima, & probabiliter nec sub veniali. Ita Less. Sanch., Sà, Tambur. contra Dicastil. lib. 2. de Iustitia tract. 2. disp. 3, aliosque apud ipsum. Ratio ex Sanch., & Suar. est, quia neque promissio facta homini, neque votum factum Deo, neque iuramentum, neque præceptum superioris, aut contractus inducunt obligationem ullam, ne venialem quidem, si procedant ex imperfecta deliberatione; ergo neque injusta acceptio procedens ex imperfecta deliberatione. Et ratio a priori est, quia actus indeliberatus non potest esse causa moralis perfectæ obligationis; Non enim causare potest obligationem gravem, ut patet, quia cum talis obligatio consequatur ad in-

justam acceptionem per modum pœnæ, si obligatio sit gravis, culpa deberet esse etiam gravis: Neque potest causare obligationem levem, (pro ut aliqui docent eo modo, quo sub levi obligatur ad restitutionem, qui materiam levem furatus est) quia quoties materia est gravis, apta de se parere obligationem gravem, non potest ullatenus parere obligationem levem, ut patet in voto, iuramento, præceptis, contractibus, &c.; Qui enim vovit, exempli gratia, castitatem cum imperfecta deliberatione, ad illam non tenetur, ne sub veniali quidem. Potest sane votum deliberate emissum in materia gravi obligare sub levi ex intentione voventis volentis sibi levem obligationem imponere, juxta nonnullorum sententiam, cum Suario, Sanch. & aliis; at si votum sit emissum cum semiplena deliberatione, quamvis sit in materia gravi, nullatenus obligat, ut ostendimus.

Hinc sequitur, non teneri ad restitutionem, Primo, qui per negligentiam venialem est causa, cur domus alterius comburatur. Secundo, famulum, qui per similem negligentiam reliquit ostium domus domini apertum, unde fures domum expilarunt. Tertio, custodes vineæ, nemoris, vectigalium, qui per levem culpam non custodiunt, ut debent, res sibi commissas. Quarto, qui subita ira permotus sine gravi culpa alium occidit.

IV. Opponitur primo contra primam conclusionem: Ex lege Aquilia (lata a Romanis ad petitionem Aquilii Reguli) qui damnum alteri intulit ex culpa juridica, obligatur ad illud resarciendum, & aliquando ad plus retribuendum: Pariter lib. 4. Institution. tit. 8., & 9., & leg. 1., & 2. ff. De noxalib. actionib. præcipitur, quod si servus, aut animal alicujus absque culpa domini damnum alteri intulit, teneatur actione noxali do-

dominus vel integrum damnum refarcire, vel noxam pro noxa tradere, seu tradere animal illud, vel servum, qui damnum intulerunt; ergo etiam ex culpa juridica oritur obligatio restitutionis.

Respondeo cum communi, leges praesumere in his actionibus culpam theologicam, quae si absit, certe in foro conscientiae nulla erit obligatio restitutionis: hoc enim est commune omnibus legibus poenalibus fundatis in praesumptione culpae, ut nihil operentur, si constet culpam non adesse, quia praesumptio cedere debet veritati, quando haec innotescit, ut bene ostendit Suar. Quod si vere culpa moralis in conscientia praecessit, tunc tenetur refarcire damnum ad aequalitatem, & solum post sententiam iudicis tenetur solvere poenam taxatam a lege excedentem damnum illud: Est enim arduum, & supra humanam fragilitatem, quod ante sententiam iudicis obligetur aliquis ad poenam excedentem damnum illatum. Equis enim id faceret?

V. Ubi notandum diligenter, quod si leges sint dispositivae, & non mere praesumptivae, verbi gratia, si statuatur, ut bos, vel servus Titii, qui intulit Petro damnum unius aurei, detur Petro; in tali casu si vere damnum illatum sit a bove, vel servo, etiam si sine culpa Titii domini, adhuc obligatur in conscientia Titius ad dandum bovem, vel servum Petro post sententiam iudicis, non quidem ex capite restitutionis, quae tantum exigit compensationem damni ad aequalitatem, sed quia posita sententia iudicis transfertur in Petrum dominium bovis, vel servi; lex enim potest in bonum commune disponere, ut in similibus casibus dominium rei in alterum transferatur, ad hoc ut dominus majori cura incumbat in sua animalia, vel servos, ne aliis damnum

inferant: Contra vero, quando leges sunt mere praesumptivae, quae scilicet praesumunt damnum aliquod intercessisse, tunc si damnum revera non intercessit, verbi gratia si bos, vel servus vere damnum non intulit Petro, non datur obligatio dandi ipsum Petro, ne post sententiam quidem iudicis, quia talis sententia fundatur in praesumptione, quod bos damnificaverit; quia tamen praesumptio cedere debet veritati, ideo si revera damnum non est illatum, non adest obligatio in conscientia dandi bovem Petro; atque adeo si per vim Petro bos tradatur, potest per occultam compensationem reassumi.

VI. Opponitur secundo contra secundam conclusionem: Si post furtum minuta addatur ultimum, per quod pervenitur ad summam gravem, oritur obligatio gravis restituendi; Et tamen etiam ultimum furtulum fuit peccatum veniale ex parvitate materiae; ergo ex veniali ratione parvitate materiae potest oriri gravis obligatio restituendi.

Respondeo cum Lug., & Tambur., quod vel ultimum furtulum fuit cum advertentia ad furtula praeterita, vel non; si primum, jam ultimum furtulum fuit peccatum mortale, quia fuit cum voluntate damnificandi graviter, ut communiter docent contra Navar. apud Tambur. lib. 8. cap. 2. tract. 2., unde nil mirum, quod ex eo orta sit gravis obligatio restitutionis. Si secundum, tunc obligatio gravis restitutionis non oritur ex injusta acceptione, seu ex peccato veniali contra iustitiam, sed ex re accepta, seu ex retentione notabilis summae.

Dubium majus est, si consumpseris ea, quae per furtula rapuisti, tunc enim posito illo ultimo furtulo, datur obligatio gravis restitutionis, cum opposita sententia damnata sit ab Innoc. XI. in thesi 38., quae habet: *Non te-*

netur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furtula, quantumcumque sit magna summa totalis; Et tamen obligatio restitutionis non potest oriri ex re accepta, cum non retineatur summa notabilis; ergo oritur ex injusta acceptione, quæ nunquam excessit peccatum veniale, eo quod ultimum furtulum fuit sine advertentia ad furtula præterita.

Respondeo cum Tambur., & aliis, in tali casu oriri obligationem gravem restituendi ex veniali per accidens, quia scilicet in commissione ultimi furtuli per accidens non advertitur ad præterita; sicut etiam per accidens potest aliquis graviter obligari ad restitutionem ratione injustæ acceptionis, etiam si nulla præcesserit culpa, ut diximus art. 3. num. 7. cum Lugo, quando scilicet aliquis inculpabiliter alium infamavit, & deinde ad id advertit; tenetur enim sub gravi famam restituere, non quia peccavit graviter, sed ne peccet graviter contra iustitiam. Et ratio ex Lugo a priori est, quia qui singulis vicibus furatur, verbi gratia, carolenum, contrahit obligationem sub levi restituendi carolenum; ergo qui quinquies furatus est carolenum, tenetur restituere quinque carolenos, quæ supponitur materia gravis, & ideo sub mortali tenetur hanc summam restituere, quando advertit ad quinque furtula præterita.

VII. Opponitur ultimo: Quoties multi sine ulla conspiratione modicum quid ab eodem furantur, peccatum singulorum est veniale; si tamen advertant damnum illatum ab omnibus esse grave, unusquisque sub mortali tenetur restituere particulam suam, quam furatus est, alioquin illud damnum reparari non posset; ergo recurrit, quod ex injusta acceptione veniali possit oriri gravis obligatio restituendi.

Respondeo, certum esse, quod si multi conspirent in huiusmodi furtula, peccent mortaliter, si vero non conspirent, nec unus advertat ad furtulum alterius, solum venialiter peccent, nec teneantur ad restitutionem sub mortali. Dubium solum est, an peccent mortaliter, & ad restitutionem sub gravi teneantur, si non conspirent, nec unus suo exemplo sit causa moralis furtuli alterius, sed tamen advertant ad furtula aliorum. Nonnulli cum Suar., Hurtad. apud Tambur. lib. 8. tract. 2. cap. 3. docent, istos peccare mortaliter, & contrahere excommunicationem latam contra furantes, quia quilibet eorum videtur esse causa damni notabilis, quod prævidit, & non cavet; unde in hac sententia ex culpa mortali contra iustitiam quilibet teneretur ad restituendam particulam suam, quam furatus est. Alii tamen cum Sanch. lib. 7. cap. 21., Dicastil., Sot. probabilius docent, quemlibet peccare solum venialiter, atque adeo non contrahere excommunicationem latam contra furantes, quia unus non fuit causa furti alterius, quamvis ad aliorum furtula adverterit; Et in hac sententia non datur obligatio gravis restituendi particulam furto sublatam, nisi quando imponeretur a superiore præceptum grave sub excommunicatione, ut quilibet restituat: Datur enim gravis causa imponendi tale præceptum ad hoc, ut reparetur damnum notabile damnificati; & sic obligatio restituendi non oriretur ex culpa veniali, sed ex præcepto superioris, vi cuius reparari posset damnum grave damnificati, ut dicemus etiam quæst. 3. art. 6. num. 7. Præterquamquod quilibet sub veniali independentem a præcepto teneretur ad restitutionem.

VIII. Ex dictis sequitur primo, non solum non obligari ad restitutionem ullam, qui casu fortuito intulit

lit damnum grave, ut qui putans occidere feram, inculpabiliter occidit hominem; sed neque ad restitutionem teneri, qui per negligentiam leviter culpabilem tale damnum intulit, ut communius docent cum Lessi. cap. 7. dub. 9., Navar., & aliis contra Rebel., & Bonac. disp. 1. quaest. 1. punct. 3.; Ubi docet, quod occidens aliquem ex vehementi passione cum semiplena advertentia, & comburens domum alterius ex culpa solum veniali teneatur ad aliquam restitutionem, verbi gratia, ad centesimam partem damni illati, si peccatum veniale fuerit admodum leve, vel ad decimam partem, si fuerit grave, & ad dimidiam partem, si dubitetur, an culpa fuerit mortalis, vel venialis, ita ut graviter ad hanc restitutionem obligetur, si materia sit gravis.

Sequitur secundo, quod si quis volens leviter damnificare, incendat arborem, verbi gratia, & deinde casu sequatur incendium totius domus, non teneatur refarcire, nisi illud parvum damnum, quod voluit inferre, idque sub veniali tantum, dummodo omnino casu magnum damnum illatum fuerit, & consequenter praemissa fuerit debita diligentia, ne sequeretur, ut aperte docet Eug. disp. 18. sect. 4., & Tambur. lib. 6. cap. 4. §. 2. Quod si praemissa non fuerit talis diligentia, tenetur integrum damnum refarcire, quia qui vult causam proximam, & periculum damni, censetur velle damnum ipsum: Ubi notandum, majorem requiri diligentiam ad praecavendum damnum grave in eo, qui vult inferre damnum leve, quam in alio, qui sine intentione nocendi inconsiderate, verbi gratia, tractat ignem, & domus comburitur.

Sequitur ultimo, Medicum non teneri ad restitutionem, si ex culpa veniali agrotum occidat, etiamsi teneatur ex justitia illum curare. Ubi

diligenter advertendum, multos Doctores docere, quod medicus, qui ex charitate alteri medetur, non teneatur ad restitutionem, nisi ex culpa lata: Contra vero teneatur ad restitutionem etiam ex culpa juridica levi, si medeatur ex justitia, eo quod pretium accipiat. Ratio hujus est, quia si medeatur ex justitia, ad majorem diligentiam obligatur in conscientia, quam si medeatur ex charitate; & ideo solum tenetur ad restitutionem ex culpa lata juridica, quando medetur ex charitate, quia tunc solum peccat mortaliter; At quando medetur ex justitia, tenetur ad restitutionem etiam ex culpa juridica levi, quia talis culpa est peccatum mortale: Quod si revera non sit peccatum mortale in conscientia, eo quod non advertat ad gravem obligationem, quam habet medicus adhibendi illam majorem diligentiam, in conscientia non tenetur ad restitutionem, si occidat agrotum.

IX. Eadem doctrina recurrit in contractibus; cum enim majorem diligentiam adhibere debeat ad rem conservandam commodatarius, verbi gratia, quam depositarius, ideo omisso illius diligentia, quae in depositario est culpa venialis, in commodatario potest esse mortalis; Et propter hanc rationem communius docent, quod commodatarius, aut locatarius teneatur ad restitutionem ex culpa levi juridica, immo etiam ex levissima, quando contractus est in utilitatem solius commodatarii; Depositarius vero solum teneatur ex culpa lata, nisi recipiat mercedem pro custodia; Nec mirum, quia solum in tali casu committi solet peccatum mortale; Unde semper verum est, obligationem restitutionis non oriri nisi ex peccato mortali contra justitiam.

X. Queritur secundo, An detur obligatio restituendi, quando dubium est, num culpa commissa fuerit mortalis,

an venialis?

Respondeo, Bonac. loc. cit. putare in tali casu dari obligationem restituendi dimidiam partem, aut pro ratione dubii, quia sic videtur dictare recta ratio; Lug. tamen, & alii apud Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 3. V. *Depositarium* docent, in tali casu nullam dari obligationem restituendi, quia in dubio melior est conditio possidentis, nec dari debet poena certa pro culpa dubia: Unde ad restitutionem non tenetur Medicus, si sine gravi negligentia occidat aegrotum; Nec Viator, si equus locatus pereat sine gravi sua culpa. Quod si certus sis te graviter peccasse, incertus tamen, an per tuam actionem peccaminosam influxeris ad grave damnum alterius, verbi gratia per tuum consilium, associationem, &c. Sanch. lib. 2. de Matrim. disput. 41. cum aliis putat, quod tenearis restituere, quia praesumendum est te cooperasse ad damnum illud, quod consequi solet ad similem culpam; Probabilius tamen existimo cum Rebell., Sayr., Tambur., quod tunc ad restitutionem tenearis, quando spectatis omnibus moraliter certum est, quod influxeris, non vero quando adhuc dubitas, quia in dubio possidet libertas.

In contractibus vero Sayr. lib. 10. tract. 3. docet, quod si dubium sit, an res perierit ex culpa gravi, vel levi, decidendum sit dubium contra illum, in cuius favorem est contractus; verbi gratia, si Depositarium dubitet, dicendum quod res perierit ex culpa levi, unde non teneatur ad restitutionem, quia depositum est in utilitatem deponentis: Econtra si dubitet Commodatarius, dicendum, quod res perierit ex culpa gravi; unde ad restitutionem teneatur, quia contractus est in utilitatem commodatarii. Quod si contractus sit in utilitatem utriusque, ut est contractus

pignoris, locationis, &c., declinandum est in favorem domini; verbi gratia si dubitetur, an pignus perierit ex gravi culpa illud conservantis, juxta hanc opinionem dicendum, quod ex culpa gravi perierit, & ideo ad restitutionem ille teneatur.

XI. Quæritur tertio, An teneatur ad restitutionem, qui levem culpam externam commisit contra justitiam, sed cum intentione nocendi graviter; Verbi gratia, qui ab avaro furatur carolenum, eo tamen animo, ut forte ex mœrore amissæ pecuniæ conficiatur; Aut Judex, qui ex odio gravi damnat reum, peccando tantum venialiter in adhibenda diligentia, ne injuste damnetur; Vel qui ponit venenum in loco remotissimo a convictu hominum, eo tamen animo, ut si forte inimicus illud sumat, interficiatur: Idem quæritur de servo, qui surripit aliquid leve a suo domino hac intentione, ut ille ejus conservo irascatur, aut verberet illum: Similiter si aliquis adolescens proferat aliquod verbum otiosum, leve, & indifferens eo animo, ut mulier, quæ illud audit, consentiat in adulterium.

Respondeo, De Lug. disp. 8. sect. 6., aliosque putare, quod isti omnes ad restitutionem teneantur, & secuta morte irregularitatem incurrant. Verius tamen puto cum Less. cap. 9. dub. 16., Sanch., & aliis apud Tambur. lib. 8. tract. 3. cap. 2., quod ad restitutionem non teneantur; quia actio interna contra justitiam gravis de se non parit obligationem restitutionis; verbi gratia, si quis cupiat occisionem inimici; ergo requiritur actio externa; atqui actio externa levis, quæ sit de se peccatum veniale, seu quæ fere semper conjungitur cum culpa veniali, non parit obligationem restitutionis; ergo actio damnificativa externe levis, & interne gravis non obligat ad restitutionem. Probatum mi-

minor subsumpta, quia non datur onus restitutionis, nisi quando actio de se est causa damni gravis, non vero quando per accidens; aliter etiam quando fortuito quis alium occidit, teneretur ad restitutionem; sed actio damnificativa externe levis non est de se causa damni gravis; ergo non parit onus restitutionis, quantumcunque conjungatur cum culpa gravi: Immo contra Tambur. loc. cit. puto, quod nec pariat irregularitatem, si ex ea homicidium sequatur, propter eandem rationem; quamvis enim potuerit Ecclesia decernere in tali casu irregularitatem, dicendum tamen, quod de facto non decreverit, quia nullam poenam imponit Ecclesia propter culpam mere internam, nec de facto imponit poenam gravem (qualis est irregularitas) propter culpam externam non gravem; aliter poena non esset proportionata culpae, propter quam imponitur; Unde etiam fit, quod si homicidium esset casus reservatus cum censura, in tali casu nec reservatio, nec censura incurreretur, nisi expresse illum casum superior sub censura sibi reservasset.

Dices cum Tambur., tale homicidium procedit ab actione peccaminosa libera, & voluntaria; ergo non est, cur non pariat irregularitatem.

Respondeo distingo antecedens, procedit per accidens, concedo; per se, nego antecedens, & consequentiam. Dicitur autem procedere per accidens, quia talis actio non est apta nata de se parere homicidium, eo quod raro homicidium cum illa conjungatur.

XII. Quæritur ultimo, An teneatur ad restitutionem, qui graviter proximum damnificavit cum ignorantia crassa, seu affectata, vel antecedente, aut concomitante?

Respondeo, & dico primo, teneri ad restitutionem, si ignorantia fue-

rit affectata, (quam scilicet aliquis positive vult habere, verbi gratia, qui non vult interrogare, num res aliena, quam projicit, sit gemma, an vitrum) si ignorantia sit crassa, (quam scilicet habent homines crassi, & stupidi, qui ex torpore non inquirunt, quid agere debeant) Ratio est, quia utraq; hæc ignorantia non tollit voluntarium, & peccatum, ut dicemus cum de Censuris in genere. Quare si quis cum hujusmodi ignorantia projicit, verbi gratia, gemmam putans esse vitrum, vel occidit hominem putans esse feram, tenetur ad restitutionem; quia ignorantia isthæc est culpabiliter voluta, atque adeo culpabiliter etiam volutum est in sua causa damnum, quod sequitur. Ita communiter.

Dico secundo, non teneri ad restitutionem, si ignorantia fuerit antecedens. Dicitur autem a Theologis ignorantia antecedens illa ignorantia invincibilis, cum qua ita ponitur opus malum, ut non poneretur, si cognosceretur esse malum; Verbi gratia, si quis occidat hominem putatum invincibiliter esse feram, eo tamen animo, ut si cognosceret, quod sit homo, non occideret; aut si projiciatur gemma alterius putata invincibiliter vitrum. Ratio est clara, quia in tali damnificatione nulla intervenit culpa; cum supponatur talis ignorantia esse invincibilis, & inculpabilis; ergo non debet ad illam consequi in poenam onus restitutionis.

Dico ultimo cum Less., Bonac., Navar., Tambur. lib. 6. cap. 4. tract. 3. probabiliter nec teneri ad restitutionem, si ignorantia fuerit concomitans. Dicitur autem ignorantia Concomitans illa ignorantia invincibilis, per quam ita fit opus putatum bonum, ut etiam si cognosceretur esse malum, adhuc fieret: Verbi gratia, si adhibeatur omnis diligentia, ne inter venandum occidatur homo, & ta-

men

men ita projiciatur sagitta in feram, ut adhuc si cognosceretur ibi esse hominem, sagitta projiceretur.

Ratio conclusionis est, quia in tali casu duo habentur; voluntas prava conditionata occidendi hominem, si adverteretur ibi adesse, & ipsa actio externa projectiva sagittæ procedens a voluntate absoluta occidendi feram, dum invincibiliter ignoratur, ibi adesse hominem; atqui obligatio restitutionis neque oritur ex voluntate illa prava conditionata secundum se spectata, ut est certum, (sicuti neque ulla contrahitur censura, vel irregularitas, ut ostendemus cum de Censuris in genere) neque oritur ex actione exteriori damnificativa; nam quamvis talis actio exterior sit occisiva hominis, & conjungatur cum peccato mortali interno, tamen hujusmodi actio, prout est occisiva hominis, non est absolute voluntaria; quomodo enim potest esse absolute voluntarium tale homicidium, si invincibiliter ignoratur ibi esse hominem? Nihil certe volitum, quin præcognitum; Quod si ea actio, prout est damnificativa, non est voluntaria, nec est culpabilis, & consequenter non debetur illi in pœnam onus restitutionis.

Confirmatur, quia talis actio exterior occisiva hominis non oritur a voluntate absoluta occidendi hominem, quia talis voluntas non datur; Neque oritur a voluntate conditionata prava occidendi hominem, si ibi adesset, quia voluntas mere conditionata nihil ponit absolute; ergo simpliciter talis actio exterior orta ex ignorantia concomitante, prout est damnificativa, non est voluntaria neque in se, neque in causa, & consequenter non est culpabilis, nec parit onus restitutionis, neque ex illa contrahitur irregularitas, aut censura.

Hinc colligi potest, quandonam ebrius, vel dormiens teneatur restituere

Pars III.

re damna in ebrietate, vel somno forte secuta; si enim prævidit aliquo modo damnum probabiliter futurum, tenebitur ad restitutionem; quia tunc illud damnum dicitur esse voluntarium saltem in causa, & imputatur ad peccatum, eo quod non sit invincibiliter ignoratum; Si vero nullo pacto id prævidit, non tenebitur restituere, quia tunc damnum est involuntarium, utpote invincibiliter ignoratum.

XIII. Opponitur: Qui volens comburere domum Petri inimici, comburit domum Caji amici, tenetur ad restitutionem; sicuti etiam qui volens occidere Petrum inimicum, præter intentionem occidit Cajum amicum; ergo etiam qui volens occidere feram eo animo, ut si ibi esset inimicus, vellet illum occidere, tenebitur ad restitutionem, si forte sequatur occisio inimici non directe intenta.

Respondeo, concessa prima parte antecedentis, & transmissa secunda, nego consequentiam: Disparitas est, quia in primis casibus illa damnificatio externa oritur a voluntate absolute damnificandi. Nam absolute intenditur damnificatio Petri inimici, quamvis per accidens damnificetur Caju amicus: Econtra in ultimo casu damnificatio non oritur a voluntate illa conditionata damnificandi; cum enim sit conditionata, nihil causare potest absolute; quare cum actio illa exterior, quatenus damnificativa, non sit voluntaria, non est culpabilis, & consequenter non causat onus restitutionis. Propter hanc rationem communis docent apud Dian. part. 9. tract. 9. resol. 31. contra Fragos., & alios, quod qui volens occidere Petrum Clericum, occidit Cajum etiam Clericum, contrahat irregularitatem, & excommunicationem, quia vere homicidium Clerici fuit voluntarium causatum a voluntate absoluta occidendi Clericum, quamvis per accidens loco Petri occi-

D ci.

cifus sit Cajus.

Dixi tamen, transmissa secunda parte antecedentis; quia Lugo sect. 13. disp. 17., Fagund., Tambur. lib. 6. cap. 4., & alii apud Dian. part. 9. tract. 4. resol. 31. quamvis concedant, quod in primo casu teneatur ad restitutionem, qui volens comburere domum Petri, comburit domum Caji, negant tamen, quod ad restitutionem teneatur in secundo casu, qui volens occidere Petrum inimicum, occidit Cajum amicum. Et assignant disparitatem, quia in casu de homicidio error est circa substantiam actionis, siquidem non intenditur occisio hujus hominis, videlicet Caji: Econtra in casu de incendio error non est circa substantiam, sed circa circumstantiam actionis, nam vere intenditur incendium hujus domus, & solum erratur circa dominium illius, putatur enim, quod sit Petri inimici, cum sit Caji amici; quare cum incendium hujus domus sit voluntarium, parit onus restitutionis, & cum homicidium Caji sit involuntarium, non parit onus restitutionis, nec parit irregularitatem, aut excommunicationem, si Cajus esset Clericus; Quia tamen non est admodum delinquentibus indulgendum, ideo in praxi amplectenda libentius est opinio communior Bonac., & aliorum dicentium in utroque casu dari onus restitutionis, & per homicidium Clerici amici loco inimici contrahi irregularitatem, & excommunicationem.

ARTICULUS V.

Quomodo se gerat Confessarius cum obligato ad restituendum?

- I. Nequit cura sacrilegium absolvi, qui non vult restituere statim totum, quod potest.
- II. Num possit permitti dilatio restitu-

tionis ob lucrum, quod a debitore speratur sine damno creditoris? Debet quidem hac in re Confessarius accommodare se opinioni probabili penitentis.

- III. Debitor volens restituere, dum est in articulo mortis, non potest hereditibus committere, ut restituant, si potest tunc ipse restituere.
- IV. Restitutio facienda est a penitente antequam accedat ad Sacramentum Penitentiae. Quod si ea non possit fieri, nisi post aliquod tempus, non est deneganda absolutio.
- V. In fure solum pro foro externo precipitur, ut non impendatur absolutio a censuris non praemissa satisfactione.
- VI. Qui promisit restituere statim, & non stetit promissis, non est de facili iterato absolvendus, multo minus tertia, aut quarta vice.
- VII. Teneatur ipse Confessarius restituere, si positive deobligavit culpabiliter penitentem a restituendo: Quod si culpabiliter solum omiserit illum monere, & Confessarius sit Parochus, qui ex officio teneatur confessiones audire, adhuc ipse probabiliter teneatur restituere, Et probabiliter etiam alii Confessarii.
- VIII. Parochus, si non moneat penitentem de restitutione facienda, ad restituendum ipse obligabitur ex levi culpa juridica; Alii vero Confessarii solum ex culpa lata.

I. **Q**Uaeritur primo, An possit absolvi, qui non vult statim restituere, quod potest?

Respondeo negative: Immo si absolutio impendatur, est nulla, & committitur sacrilegium, nisi bona fides excuset. Ratio est, tum quia ex Reg. juris in 6. Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; tum etiam quia qui retinet rem alienam invito domino, actualiter peccat, sed qui a-

Equaliter peccat non est absolvendus, & committitur sacrilegium, si absolvatur; ergo &c.

Hinc sequitur primo, non posse absolvi, qui non vult statim ac commode potest restituere totum debitum, sed solum partem, (nisi pars, quæ remanet, sit levis,) etenim velle retinere partem notabilem rei alienæ invito domino est pariter actuale peccatum mortale.

II. Sequitur secundo, nec posse absolvi, qui vult aut restituere per partes, aut post aliquod tempus, cum possit commode statim restituere totum. Et ratio est eadem. Et quamvis Hostiens. putet posse aliquam dilationem permitti, quando creditor ex dilatione nihil detrimenti est passurus, & debitor ideo differt, quia ex dilatione sperat magnum aliquod emolumentum, quin exponat se periculo non amplius restituendi; Nihilominus communiter Doctores docent, restitutionem faciendam esse statim juxta dicenda quæst. 4. art. 3.; quia creditor regulariter est rationabiliter invitatus talis dilationis factæ ex eo præcise capite, quod debitor speret emolumentum ex re aliena. In eo dumtaxat casu Sotus putat permitti posse restitutionem fieri per partes, quando scilicet debitor credit se aut non posse, aut non teneri ad totum simul restituendum. Quod si hanc credulitatem habeat, debet solum Confessarius illum advertere, ne animam suam decipiat; nisi forte Confessario evidenter constaret impossibilitatem illam esse inanem, & apparentem; tunc enim non debet illum absolvere: Quod si ex opinione probabilis pœnitens putet hic, & nunc se non teneri, debet Confessarius accommodare se opinioni pœnitentis, si vere talis opinio sit probabilis, quamvis ipse contrariam sententiam sequatur. Ratio est, quia quando pœnitens est rite dispositus,

debet absolvi; Est autem rite dispositus, si opinionem probabilem sequatur, quod non debeat restituere; ergo tunc absolvi debet.

III. Sequitur tertio, nec posse absolvi, qui vult differre restitutionem ad articulum mortis; aut si existens in articulo mortis, & potens commode per se ipsum restituere, mandat hæredibus, ut restituant: Nisi forte aliquando certo credatur id melius ab hæredibus faciendum, (quod tamen raro accidit) vel nisi restitutio in illo articulo facta pariat aliquod scandalum, aut periculum manifestandi delictum moribundi.

IV. Quæritur secundo, An, & quoties possit absolvi, qui promittit Confessario statim restituere, & deinde non restituit?

Respondeo, certum esse, quod impotens restituere absolvi debeat, si doleat de peccato, & proponat restituere, cum commode poterit. Qui tamen restituere poterit statim, profecto debuisset restituere antequam ad pedes Confessarii accederet, quia quælibet dilatio restitutionis, invito rationabiliter domino, est peccatum actuale; qui autem accedit ad sacramentum Pœnitentiæ, debet accedere immunis a quolibet peccato actuale. Quod si non advertens ad hanc obligationem non differendi amplius restitutionem, accedat ad Confessarium, doleat ex corde, & promittat statim post confessionem se restitutum, prima vice est absolvendus; nisi prudenter timeatur, aut quod non habeat verum propositum, aut quod non sit restitutus, unde melius sit illum dimittere, ut prius restituat, si restitutio statim fieri potest, & deinde ad absolutionem accedat: Si vero restitutio non potest fieri, nisi post longum tempus, non debet sine absolutione dimitti, quando habet verum propositum: Et hæc est praxis Ecclesiæ; tum quia speratur il-

lum facilius restitutum post gratiam absolutionis; tum etiam quia aliter exponitur periculo, quod non redeat ad Sacramentum Pœnitentiæ, & sic privetur magno fructu spirituali.

V. Neque obstat, quod Trident. sess. 25. cap. 12. præcipiat, ne absolvantur non solventes, aut impediētes decimarum Ecclesiis deuitarum solutionem, nisi plena restitutione secuta; Nam Trident. loquitur de absolutione a censura in foro externo ob tale delictum inflicta; in hoc enim, & similibus casibus, in quibus scandalum oriretur, si delinquentes ante restitutionem ad Sacramenta reciperentur, præmitti debet restitutio: Et ideo in cap. *Quia, De Usuris*, prohibentur admitti ad communionem altaris usurarii manifesti, nisi prius restituant, aut idoneam dent cautionem de restituendo.

VI. Qui tamen semel absolutus cum promissione statim restituendi, deinde non restituit, non est facile iterum absolvendus ante realem restitutionem, sed cum eo agendum, sicut cum eo, qui promisit dimittere, verbi gratia, concubinam, ac vitare occasionem peccati, & deinde non vitavit. Si tamen iterum appareat magnus dolor, & firmius propositum, potest secunda vice benigne absolvi, ex Navar., Paludan., & aliis contra Cajet., Antonin., Armit.; Immo nonnulli etiam concedunt cum Valent., Ledesm., Sayr., Navar. contra communiorem, quod possit etiam tertia vice, & aliquando adhuc quarta absolvi, memores fragilitatis humanæ; eæ enim possunt circumstantiæ concurrere, & signa doloris apparere, ut non videatur pœnitens hic & nunc indignus absolutione, quamvis alias in proposito defecerit.

In praxi tamen rarissime hac doctrina utendum est, quia nisi restituat priusquam iterum ad Sacramentum accedat, qui alias in proposito defecit,

impossibile moraliter est, quod habeat verum propositum restituendi statim post confessionem; Sicut dicitur de concubinario, nisi prius concubinam dimittat: Restitutio enim, & concubinæ dimissio præcedere debent Sacramentum; quod si prima, & secunda vice per accidens non præcedant, difficillimum est, quod tertia vice habeatur verum propositum restituendi, quin præcesserit restitutio. Quare blasphemare, & alia huiusmodi peccata, quæ dependent a fragilitate humana, & in subito impetu, & caloris æstu committuntur, fieri possunt sæpe post verum propositum non relabendi, & ideo possunt sæpius absolvi, qui in hac peccata sæpius relabuntur, non tamen qui non restituit, aut concubinam non dimittit, cum huiusmodi peccata non ex fervoris æstu, sed veluti consilio committantur.

VII. Quæritur tertio, An Confessarius non obligans pœnitentem ad restitutionem, ut debet, teneatur ipse restituere?

Respondeo, certum esse, quod teneatur, si mala fide positive illum debilitet; Si vero solum omittat monere pœnitentem de obligatione restituendi, quando speratur fructus, sive non moneat ex malitia, eo quod directe intendat, ne pœnitens restituat, sive ex ignorantia crassa, seu ex negligentia, & lata culpa, probabile est ex Valent., & Bonac. disp. 1. quaest. 2. punct. 2., quod non teneatur ipse restituere, quamvis Confessarius sit Parochus, qui ex officio, & iustitia teneatur instruere pœnitentem: Ratio est, quia non tenetur ex iustitia curare bonum temporale creditoris, sed solum bonum spirituale pœnitentis.

Sed communior, & probabilior sententia Rosel., Navar., Sayr., & aliorum docet, quod ad restitutionem teneatur ipse Confessarius, etiam quando omittit mala fide monere pœnitentem.

ntem de obligatione restituendi, si Confessarius sit Parochus, qui ex iustitia tenetur confessiones audire. Ratio est, quia huiusmodi Confessarius, (sicut etiam quicumque ex proprio munere confessiones audit) utpote medicus spiritualis, tenetur ex iustitia curare morbos peccatorum; inter quos præcipuus est damnificatio iniusta proximi; ergo si hoc non faciat, tenetur restituere damnum ex tali omissione secutum.

Nec refert, quod tale damnum non veniat in pœnitentem, cui per se est obligatus ex iustitia, sed in creditorem, cui tantum est obligatus ex charitate. Nam, ut bene notat Petrus Navar. cum Sayr., ex intentione fidelium assignantium decimas Ecclesiæ, immo etiam ex intentione Ecclesiæ committentis Sacerdotibus officium Confessarii, illud non datur solum ad salutem animæ pœnitentis, sed etiam quod curam habeat, quantum fieri potest in illo iudiciario foro spiritali, damnorum Reipublicæ, & injuriarum vitandarum, unde ad restitutionem tenetur, si hanc curam non habeat: Sicut iudex si liberet bannitum, quem scit probabiliter facturum multa alia damna, tenetur ad restitutionem damnorum, quia in foro contentioso officium habet non solum puniendi delicta, sed etiam procurandi, ne ex delictis impunitis alteri damnum sequatur.

VIII. Præterea quamvis confessarius non teneretur ex officio immediate,

& directe curare bonum temporale creditoris, tenetur tamen mediate, & indirecte, quatenus tenetur efficere, quantum in se est, ne pœnitens alios damnificet; quod satis est ad incurrendam obligationem restituendi damnum secutum ex omissione monitionis; quia satis est, ut ipse peccet contra iustitiam; Illud enim damnum non aliter ad culpam Confessario imputaretur, nisi quia hic non facit, quod debet facere ex officio; hoc autem est peccare contra iustitiam: Sicuti quamvis quilibet solum ex charitate, non ex iustitia teneatur vitare damnum proximi; nihilominus, si illud inferatur a filio, vel servo, vel animali Titii culpa sua, tenetur Titius ad restitutionem; quia ex officio, & iustitia tenetur immediate, & directe curare, ne filius, servus, vel animal damnum faciant, & mediate, ne alii damnum patiantur. Quare tam Episcopus, Parochus, aut Curatus, qui exercent munus confessarii cum stipendio, quam alii, qui sine stipendio confessiones audiunt, tenentur in casu adducto ad restitutionem; cum hoc solum discrimine, ex Sylvest. apud Suar. de Pœnit. disp. 32., quod illi, qui stipendium accipiunt, cum exercent officium etiam in utilitatem propriam, tenentur ad restitutionem, etiam quando ex levi juridica culpa omittunt obligare pœnitentem: alii vero qui exercent munus præcise in bonum pœnitentis, tenentur solum de culpa lata, prout explicavimus articulo superiori.